SENATUI *EDINBURGENO* VERE HONORANDO,

D. JACOBO CURRIE,

ANTIQUISS. CIVITATIS *EDINBURGI* CONSULI AMPLISS.

D. D. *Jacobo Justice*, *Guilielmo Carmichael*, *Davidi Swintoun* Prætoribus Æquissimis.

Roberto Baird à *Sauchtounhall*, Ædili Vigilantiss. *Jacobo Sutherland*, Quæstori Fideliss.

Reliquisque Spectatissimis inclytæ Civitatis Senatoribus Patronis suis plurimum colendis.

Theses hasce Philosophicas ex dictatis quadrimi laboris notis excerptas, quas P. N. in Æde Sacra *Hyesteriensi*, *Julii* 19. 1675. Præside *GUILIELMO PATERSON*, ab Aurora in Vesperam propugnaturi sunt, Generosi aliquot Adolescentes Magisterii Candidati, almæ Universitatis *JACOBI REGIS Edinburgenæ* Alumni, gratitudinis ergo, D. C. Q.

Alexander Coldine.
Alexander Drummond.
Alexander Hastie.
Alexander Moodie.
Alexander Sheils.
Andreas Andison.
Andreas Duncan.
Archibaldus Calderwood.
Brucius Bridges.
Donaldus Urquhart.
Donaldus Robertson.
Duncanus Cumine.
Georgius Turnbull.
Gilbertus Robertson.
Guilielmus Andrew.
Guilielmus Denune.
Guilielmus Foster.
Guilielmus Graham.
Franciscus Moor.
Henricus Robertson.
Hugo Clannie.
JACOBUS BAIRD.
Jacobus Booge.
Jacobus Colt.
Jacobus Livingston.
Jacobus Pringle.
Jacobus Scot.
Jacobus Stewart.
Ioannes Bailie.
Ioannes Brown.
Ioannes Crighton.
Ioannes Hall.
Ioannes Hutchison.
Ioannes Ker.
Ioannes Martine.
Ioannes M'adam.
Ioannes Nisbit.
Ioannes Rigg.
Ioannes Sinclar major.
Ioannes Sinclar.
Josephus Monro.
Milcolumbus Million.
Patricius Miller.
Patricius M'dugall.
Petrus Kello.
Ricardus Leek.
Robertus Bannerman.
Robertus Bowmaker.
Robertus Campbel.
Robertus Nairn.
Robertus Norvel.
Robertus Ramsay.
Robertus Stark.
Rodolphus Ord.
Thomas Burnet.
Thomas Crighton.
Thomas Mabane.
Thomas Wat.

I. Philosophia à condito fermè orbe orbis fuit, & ipsi rationi & sermoni coæva; renascente enim à tribus istis *Noachi* filiis humano genere, diversis planè modis & methodis in *Hebræos, Caldæos, Ægyptios, Indos, Græcos*, & quicquid alibi mortalium fuit, cum ipsa humana natura de parente in prolem propagata est; fuere enim inter rudissimos primorum temporum homines, qui magna maximi Dei opera admirati sunt: admiratio autem ad causas quærendas, earum rerum quas admirantur, ingenia maxime excitat: *Primi Sapientiæ Professores* fuere *Gymnosophistæ* seu *Brachmanni* apud Indos, *Magi* apud *Persas*, & *Chaldæorum*, & *Ægyptiorum* Sacerdotes. Postquam autem *Atheniensium* Respublica, *Persis* domitis, pace florere cæpit; tunc primum illi, qui nec domi nec foris, quicquam haberent aliud, quod facerent, convenire in loca publica confabulandi gratia inceperunt: nam non alii rei vacabant, ut *Act.* 17. 21. *Nisi ad dicendum aut audiendum aliquid novi*: itaque qui sibi videbantur in Philosophia proficere, alios docere sunt aggressi, *Plato* in Academia, *Aristoteles* in *Lyceo*, alii in *Stoa*, quæ loca Scholæ, & disputationes earum diatribæ appellabantur. Philosophia si late sumatur comprehensiva admodum est, atque universam scientiarum & artium liberalium εγκυκλοπαιδειαν comprehendit, Theologiam scil. Jurisprudentiam, Medicinam, & innumeras ferme Mathesios species, &c. Quæ omnes erudite admodum docentur in Inclyta Universitate *Jacobi* Regis *Edinburgenæ*: nam Munifici Musarum nostrarum Mecænates tam æterno suo honori quam magno Reipub. literariæ emolumento, Academiam hanc nobili hac professione, & dignissimo Professore *Gregorio* in re Mathematica vere magno, locupletarunt, ornarunt. Verum Philosophiæ strictius sumptæ non incommoda est antiqua ista divisio in Philosophiam Rationalem, Moralem, & Naturalem: prima recte judicare & discurrere docet, neque inepte à Nupero Authore Logica hæc, Ars cogitandi describitur, cum cogitationes nostras in definitiones, argumenta, imo & in demonstrationes artificiose disponat, & in vitam civilem magnopere influat: nam animus major est, vita brevior, tempus pretiosius, quam quæ enti rationis, universali à parte rei, & tantillis non Logicæ vel Philosophiæ sed garrulitatis momentis impendantur, Philosophicæ professionis opprobriis: verumenimvero negotium vere necessarium molitur Logica, & opus omnium disciplinarum studiosis grande & gratum, nempe in variis terminis, & technologematis, quorum frequens est in vita humana usus, explicandis: in *Propositionibus, Suppositionibus, Divisionibus, Definitionibus, Demonstrationibus*, &c. rite efformandis.

II. Prout Logica in universam rem literariam benignissimis influit auspiciis, sic Ethica [*quæ ars est bene beateque vivendi*] humanis affectibus per rectæ rationis dictamina moderandis magnopere contribuit: Philosopho enim practice & heroice morali, pro voluntate est ipsa justitia, pro feris affectibus est tranquilla quædam & sedata moderatio, pro brutali voluptate est æquabilis illa animi temperantia, pro rabida ira, & tetra iracundia, est nobilis fortitudo, pro timore magnanimitas, [*pessimus enim in dubiis augur timor,*] pro φιλαυτια φιλοθεια, pro morositate moralitas, pro furioso animalis vitæ impetu, & impetuosa passionum rabie, serena rationalis vitæ tranquillitas, pro fine summum bonum: hic enim aurea virtutum omnium catena tanquam collari vere Regio ornatus, & ipsissima naturalis beatitudinis tyara Coronatus, qui in omnibus tum Reipub. tum rei familiaris infortuniis, adversus omnes novercantis fortunæ afflatus, imo in horrendis istis, (ut sic loquamur) terræ motibus, quibus in sensu politico orbis hic quasi propriis exciderit polis, idq; absq; ullo απαθειας stoicismo, halcyonia fruitur serenitate: hic enim est qui in praxin redigit heroicum illud *Boethii* mandatum, *Gaudia pelle, pelle timorem*, &c. Philosophia speculativa in veritatem investigandam incumbens, & vastissimum naturæ volumen revolvens, lucem ad Dei notitiam pleniorem contribuit, & per creaturas ad Creatoris Opt. Max. cognitionem deducit; verum Philosophia hæc practica mortales Deum gloriosum ex diligenti ratiocinio cognitum amare & venerari suadet: illa enim homines sui cognitionem docet, mentisq; suæ qualemcunq; cum Deo similitudinem summa cum complacentia contemplatur; hæc vero actiones humanas cohonestare satagit: Philosophia Theoretica frustra foret, nisi fieret & practica, cui ancilletur: illa enim via est, hæc vero finis: nam prout *ubi desinit Physicus, ibi incipit medicus*, sic ubi desinit *Ethicus, ibi incipit Theologus, & Jurisconsultus*, utriusq; quippe tam necessariæ disciplinæ solidissima ponit fundamenta, & commodissima rudimenta Philosophia Moralis.

III. Divinæ imaginis tenues adhuc post lapsum reliquiæ superstites tanquam naturalis luminis exiguæ scintillulæ inter spississimas ignorantiæ tenebras micantes, non tantum ad nudam naturæ contemplationem sese extendunt, sed præterea ad honesti & inhonesti discrimina pertingunt: quam turpiter ergo contra omnem sobriam rationem, contra Reipub. pacem, contra solidam pietatem errant, qui cum *Hob.* asserunt nullum esse in rebus ipsis [præscindendo ab omni præcepto vel prohibitione] *honestum* vel *inhonestum, justum* vel *injustum, bonum*, vel *malum*; sed actus omnis honestatem vel turpitudinem à præcepto nudo dependere, quasi quod est jam tetrum & horrendum flagitium, à quo ipsa humanitas abhorret, posset esse non tantum licitum sed pium, honestum, & indispensabile officium: quasi indulgentissimus naturæ author posset ipsius naturæ destructionem mandasse in stragibus, cladibus, parricidiis, regicidiis; & universam naturæ rationalis societatem, & commercium evertere, in mandandis stupris, latrociniis, rapinis, imo & fraudibus & perjuriis, quasi Deus ordinis poterit esse idolum confusionis, vel quasi confusio poterit esse ordo, vel denique quasi benignissimus Jehovah, qui impense diligit omnia manuum suarum opera, poterit eadem omnia sempiterno persequi odio [O horrida rerum catastrophe!] Maneat ergo *Natura rationalis prima, primaria, & præcipua omnis moralitatis regula.*

IV. In omnes tamen actiones humanas & morales efficacissime influit φιλαυτια: in hac enim fundatur istud omnis societatis, commercii, & ipsius moralitatis principium *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*; quod æque tenet in positivis, *quod tibi fieri vis, alteri facias*, adeoq; φιλαυτια charitatis erit mater alma, & φιλοχρημοσυνης noverca severa: nam quo magis quisq; amat seipsum, eo minus turpe lucrum: Philosophus ergo ille antiquus, qui semper inculcabat, *nosce teipsum*, potiore jure dixisset, *ama teipsum*, in nullis enim circumstantiis est μισαυτια possibilis, ne vel in casu αυτοφονιας [quæ in ipsissimo *Catone* non fortitudinis, sed indignissimus ignaviæ fuit actus:] nam *nemo odit suam carnem*, multo minus seipsum.

V. Ut actio dicatur moralis duo requiruntur, *libertas* scil. & *lex*. De libertate humanæ naturæ controversia admodum antiqua est: siquidem per aliquot millenos annos de libero arbitrio in scholarum theatro disputatum est: primo enim inter *Stoicos* & *Epicureos* acerrime viguit hæc disputatio; illi scil. pro universali libertate & indifferentia, hi vero pro fatali quadam necessitate stabant: post hæc diu in ipsissima Christianæ Ecclesiæ aurora rursus apparuit inter magnum *Augustinum* & *Pelagium* Hæreticum, atque ad nostros usque disputaturientes dies summa cum acerbitate traducta est hæc interminabilis lis: Quidam enim parvam, quidam vero nimiam, alii vero nullam plane libertatem homini concedunt: *Hobbesius* enim libertatem omnimodam, non tantum humano generi, sed & universæ entium Reipub. eripit, & conformiter quidem satis ad monstrosa sua ineptit principia, moralitatis omnis vel potius immoralitatis infaustum hoc prodigium: nam ubi nulla substantia immaterialis, ibi nulla libertas, adeoq; si in universo, nihil aliud sit, præter meram materiam & nudum motum, ut vult *Hob.* necesse est tollatur omnis libertas: omnia quippe ex hoc Authore fiunt per actionem & reactionem materiæ, adeoq; omnia in universo hoc fatali quadam necessitate, imo tam naturali, extrinseca, & cogente fierent, quam pila palmaris à pariete reflectitur: sic enim nihil esset in universa rerum compage, nisi una materiæ atomus movens, impellens & agitans aliam, & hæc aliam, & ita deinceps per universam materiæ molem, id est ex *Hob.* per το παν: verum fatalem hanc & Physicam rerum omnium necessitatem, ridiculam admodum præbuit Illustris. D. *Brambill.* nobis enim *natura rationalis qua talis est libera*: *libertas est lubentia cum ratione*: *liberum arbitrium spontaneum rationale*, adeo ut agere *scienter, volenter*, sit agere *libere*: *Liberum* ergo & *necessarium* non semper opponuntur.

VI. Physiologia sive conatus universæ naturæ contemplativus, non male à nupero Authore describitur *effectuum ex conceptis eorum causis seu generationibus, & rursus generationum, quæ esse possunt ex cognitis effectibus per rectam ratiocinationem acquisita scientia*: triplex enim Philosophantium genus nostra ætas effudit: alii certo cuidam authori sunt addicti, unde totum suum ponunt studium, ut principem suum benigne interpretentur, & si aperto marte propugnare non liceat, stratagematis utuntur, verum non absque summo ingeniorum cruciatu & manifesta textuum quos interpretantur injuria; Solum enim *Aristotelem* & non naturam interpretatur Metaphysica *Jesuitarum* societas: ad hanc sectam spectant illi qui *Scotum subtilem* stupide nimis adorant; qui *Raymundum Lullium* superstitiose colunt; qui *Bombasti Paracelsi* portentosa mirantur deliria: Alii sunt libertatis Philosophicæ vindices, qui nullius authoritatem, sed omnium rationes ponderant, seque veluti naturæ & lycæi vel arbitros faciunt, vel restitutores: hi enim novis sectis principium faciunt, sive veram appetant sapientiam, sive ambitioso errore sint præcipites: ita *Sebastianus Basso*, qui nova adversus *Aristotelem* invexit, ita *Paracelsus Hippocrati, Galeno*, & *Avicennæ* injuriosissimus ebrius; sic *Thomas Campanella* propriam sibi Philosophiam vulgavit, artemque Medicinalem ex propriis principiis descripsit, sic *Fluddius, Crollius*, & *Chymici*: ad hanc Philosophorum Classem spectant *Sceptici* omnes, atque à dubitabundo scepticismi principio magnus *Des Cartes* Philosophiam suam Philosophico hoc in seculo tam celebratam deduxit, *dubito* inquit *Ergo sum, Ego sum ergo Deus est*, ubi dubitando indubiè demonstravit tum *sui*, tum *Numinis* existentiam; Tertium Philosophorum genus, Adolescentioribus placitis vel spretis vel jam delibatis, ad Philosophiam anum vetulamque regressum quærit: sic *Samii Aristarchi* Astrologiam deduxit *Copernicus*, *Platonis* doctrinam celebravit cum suis *Florentinus Marsilius Ficinus*, & à multis seculis obsoletam pæne *Empedoclis* Philosophiam ex parte cecinit *Lucretius*, *Epicurum* textualiter interpretatur magnus *Gassendus*, in vernaculum sermonem, sed ne vix vernaculum quidem, transtulit *Charleton*: Corpuscularianam hanc hypothesin magnopere excoluit Nobilis *Boyl*, præsertim in limatissimo suo opere de origine formarum & qualitatum; & opusculo de gemmis vere pretioso, quæ nobis ita arrident, ut quicquid illic statuerit, propugnare in proclivi simus. *Cartesianam* hypothesin tyronibus explicandam plures aggressi sunt quam perfecerunt: *Henricus Regius* Philosophiam hanc *Gallicam* fœdissimis suis de *anima rationali corporea*, notionibus, turpiter dehonestavit: insobrio etiam conamine hoc idem suscepit eodem fato *Adrianus Heereboord* *Lugdunensis* apud *Batavos*, hic enim Nobilem *Cartesium* non intelligendo cum dubitabundo *Cartesii* principio [illegible]to tempore ludit in suis *Meletematis*, verum ipsius theoremata Physica, ne vel extremis tangit digitis Professor [illegible] *Lugdunensis*: tam incommodæ sunt subtiles *Gallorum* notiones pingui multorum *Batavorum* minervæ; [illegible] *Le grand* parum omnino in enucleanda *Cartesii* mente præstitit, *Gallus* quidam *Rohault* felicius multo [illegible]ris sui mentem aperuit, *Claubergius* omnium felicissime *Cartesii* Physicam facilem, & tyronibus intelligibilem reddidit, ita ut pleraq; ipsius theoremata Physiologica in diatriba propugnare non renuamus: Hypothesin Chymicam curioso hoc seculo non pauci ambiunt, *Van Helmont* magnopere excoluit: *Crollius* principia Chymica variis experimentis comprobavit: nobilis ille *Angliæ* Philosophus sumptuoso labore sed felicissimis successibus in Chymicis stupenda præstitit: non nostrum enim est judicium ferre quænam ex istis præferenda Hypothesis: singulæ enim quædam, at vero omnes non explicant omnia naturæ Phœnomena.

VII. De principiis rerum naturalium feræ admodum & ridiculæ fuere veterum Philosophorum conjecturæ; hic enim aperte verificatur illud Apostoli, *Gentium sapientes evanuere in imaginationibus cordium suorum*: in [illegible] puncto perspicacissimus *Plato* nequaquam divinus, neq; hic infallibilis fuit *peripateticorum Papa*, olim [illegible] nimium *Aristoteles*: hic deridendus est ipse *Democritus*, nec non lugendus lugubris *Heraclitus*; *Ægyptii* [illegible] fuere magi, nec *Chaldæi* præsagi, *Galeni* hic opinio non erat panacea, neve *Hippocratis* Catholicon; *Varro* hic [illegible] verus vates, & inter septem Græcos ne unus quidem sapiens: *Cicero* hic ipse silet, & Orator si fit, non tamen [illegible] suadebit: *Zeno* hic in vulgari acceptione *Stoicus*, neque in omnibus clarus, celeberrimus *Cartesius* [cum doctrina ejus de elementis, in qua universam suam fundat Philosophiam, conjectura plane fit] *Hobbesius* hic verum Leviathan, & *principii activi* horrendus helluo: omnes tamen unam Catholicam materiam, sub diversis nominibus pro *principio passivo* admittunt; imo & ipse *Hermes Trismegistus* [de cujus origine inter Philosophos non minus quam de Patre *Melchisedec* inter Theologos controvertitur] per *horridam suam umbram* aliquid materiæ analogum intellexerit necesse est, quæ num definiatur *res indefinite extensa cum* Cartesio, an *res impenetrabiliter extensa*, ut communiter, an vero *ingens quidam atomorum cumulus in vastissimo inani coacervatus* parvo discrimine refert.

VIII. Principium naturæ activum est *motus*, cujus primus in materia effectus est ejusdem divisio in atomos sive particulas; ut videre est in igne, ubi ocyssimus motus materiam combustilem in volatiles, ætherias & materiales auras, & vapores dissolvit, & *caput istud mortuum* in cinerosa corpuscula dividit.

IX. Fœcundus hic naturæ motus materiæ ab extrinseco advenit: videmus enim omnimodam materiam [illegible] se naturaliter semper quiescere, imo, dum ab extrinseco impulsu in *motum* concitatur, dilectam suam quietem indefatigabiliter appetit, & in desideratam suam requiem violentiâ quasi rapitur; adeoq; cum motus omnis sit propter quietem, ut bella propter pacem, miramur multum magnum *Cartesium* docuisse *motum* semel productum nunquam perire, sed de una materiæ particula in aliam indefatigata semper vicissitudine propagari: [illegible] enim prout nulla materiæ atomus ab ipsa rerum creatione in hunc usque diem periit, sic etiam nullus motus gradus periisset, atque sic ex omnibus stupendis istis naturæ motibus tandem [vel potius jam olim] indefinita hæc materiæ moles, universa naturæ compages, naturaliter conflagraret, & præterea, quare quæso non æquali jure traduceretur *quies* de corpore quiescente in corpus movens? nisi forsan quies res adeò pigra videatur, ut eam prorsus tædeat itineris, & sic naturam suam & speciem deseteret, & mira quadam conversione in *motum* [illegible] mutaretur.

X. Cum videret *Cartesius quietem* & non *motum* esse materiæ coævam & connaturalem, primævum & fœcundum hunc naturæ motum in prima materiæ creatione, ab ipsius materiæ & naturæ Authore impressum recte docet: ita *Virgilius, Mens agitat molem & cæco corpore miscet*: præterea Philosophicè admodum docet idem *Cartesius*, Deum Opt. Max. ita mechanicas *motus* leges stabilivisse, ut corpora pleraq; naturalia à materia hac tam regulariter mota & concitata resultarint; verum semper sub *supremæ Mentis* auspiciis: siquidem ingeniose observat contra infaustos infelicis seculi hujus atheos, qui absurda *Epicuri* principia in execratæ suæ dementiæ patrocinium absque omni ratione & Philosophia, [quam tantopere jactant] rapiunt, nudam & cæcam materiam sibimet ipsi derelictam, etsi nunquam tam agitatam, motam, vel concitatam, nunquam posse sese modificare, vel efformare in tam nobiles structuras, & mirandas naturæ machinas.

XI. Hisce *Cartesii* conjecturis philosophice satis subjicit Nobilis *Boil*, quod divina sapientia non tantum materiam crearit, ipsiq; fœcundum istum *motum*, principale istud *principium activum* impresserit, & Perficas motus istius Leges mechanico quodam ordine stabilierit, sed quod præterea tenuiores & subtiliores materiæ partes in splendida ista universi spectacula, cœlestia *scil.* luminaria reduxerit, (quæ *Cartesius* ætheriæ materiæ vortices vocat) & quod idem sapientissimus naturæ author *rudimenta quædam seminalia* efformarit, absq; quibus spirituosis & prolificis seminibus, in commodis receptaculis & utriculis receptis, vix intelligibile videtur (ut animalia sileamus) quomodo diversæ Plantarum & Mineralium species conservari possint & propagari; hanc itaque D. *Boil* ingeniosam notionem, non ut à *Platonis* Doctrina de *Archæis* derivatam, sed ut rationi consentaneam amplectimur.

XII. Nullæ dantur formæ materiales substantiales, nec accidentia quæ sunt distinctæ entitates à materiæ modificationibus, multo minus à materia separabiles, contra *Jesuitas* & illos *Peripateticos*, qui adversus *Aristotelem* suum (qui *lib.* 5. *Met. cap.* 2. accidens vocat εγγυς τι τυ μη οντος) propugnant accidentium à subjecto separabilitatem saltem supernaturalem, in portentoso isto *transubstantiationis* dogmatè, contradictionum [illegible]mè infinitarum barathro: atq; hinc est quod *Jesuitæ* & *Pontificii* sint jurata peripateticismi mancipia, & genuinæ Philosophiæ hostes infensissimi, quæ idololatricam suam fraudem detegeret (*qui male facit, lucem odit*) Inde est etiam quod in *Cartesium* ita debacchetur *Comptonus* tanquam Catholicæ Religionis (ut loquitur) [illegible] statam, quod fictitia hæc accidentia negaret: quam incerta ergo est hæc Religio, quæ à fluctuante Philosophemate dependet!

XIII. Dantur in homine actiones materiam omnimodam quovis modo subtilizatam & motum quemlibet [illegible]simum longè superantes: Datur ergo in homine *res cogitans, substantia spiritualis, immaterialis*, adeoq; & immortalis, quam agnovere omnes, præscindendo etiam à fide, qui unquam sobriam rationem consuluere. [illegible] mosæ isti objectioni recocta crambe à recentioribus *Sadducæis* semper propositæ, quomodo scil. *res* [illegible]*bilis* moveat *rem impenetrabilem*, in diatriba cum bono Deo satisfaciemus.

XIV. Implicatorium istud ubicationis definitivæ ænigma spiritus notionem ita intricatam reddidit, ut [illegible] nulli de rei immaterialis existentia dubitarent; infausti quidam *Sadducæi* pernegarent: hinc etiam [illegible] dubio fuerat, quod *Cartesius menti* nullam planè ubicationem assignavit; verum inconsequenter, cum [illegible] dicat rem cogitantem esse in re extensa, id est, ex ipso, in materia, loco, & spatio: est ergo tam propr[illegible] circumscriptive Spiritus in loco quam Corpus. Animarum præexistentia est mera idea Platonica; [illegible] traductio est contra omnimodam spiritualem naturam, animæ ergo puræ à Deo creantur; hoc [illegible] congruum est naturæ ipsius animæ, neq; sic minus clarè explicatur Originalis contagionis propagatio [illegible].

XV. Injustus, puerilis planè & ridiculus est iste arguendi modus, *hoc vel illud ego non clare* [illegible] *nequit fieri*; neq; tamen firmioribus argutiolis nititur teterrima ista Atheorum contra Religionem [illegible] conspiratio, quasi vero intelligerent hi Philosophastri (nam Philosophicus Atheista implicat) [illegible] teriæ suæ perdilectæ, utrum scil. (ut alia multa de materiæ natura sileamus) corpora sua, quæ [illegible] constent ex particulis in infinitum minoribus, an vero ex punctis Mathematicis; distinctio ista [illegible] *actu* & *potestate* illic; prout duo puncta tangere semet juxta longitudinem seminalem, (ut [illegible] phylacterio mundi) difficultatem hic non tollit, & quomodo partes proportionales Peripateticorum [illegible] *Cartes.* vel atomi sive minima naturalia *Epicuri*, vel puncta *Zenonis* inter se cohæreant vel uniantur, [illegible]tionem omnem multo magis perturbat, quam quid sit *res incorporea*, vel quomodo *res penetrabilis* moveat rem *impenetrabiliter extensam*; particulæ *ramulosæ, hamulatæ* & *uncatæ* non tenent, necesse enim est in infinitum hamulentur, particularum *quies* in hoc phænomeno explicando omnino quiescit; *immediatus contactus* rem non ne[illegible] tangit. Qui negat Deum existere, negat ipsum vel posse existere; Atheista ergo necessitabitur ad probandum illud esse impossibile quod tamen necessario existit: tam durum est contra stimulos recalcitrare.

PROBLEMATA.

1. Num idem *Cartesius* per globulos trium Elementorum, & particulas suas multiformes, idem *Epicurus, Democritus* [illegible] per atomos, effluvia, substantiales effluxus, materiæ modificationes? Num idem *Aristoteles* per formas substantiales, qualitates & accidentia? Num idem *Cabalistica* Philosophiæ cultores, *fratres isti Roseæ crucis*, homunculi sexti per *Lucem & tenebras*? Et denique, Num idem *Plato* per *suam Hylen* & *Archæos* velit & doceat, vel an unicum ab istis omnibus recte explicetur phænomenon determinet opponens? 2. Num ulla detur *rarefactio & condensatio*; & si detur, num fiat, ut vult *Mors.* vel ut *Scot.* vel ut *Arr. Val*, & *Ov.* vel ut *Democ. Epic. Lucr. Gass.* vel ut *Cartes.* 3. Num omnis Spiritus sit res *cogitans*, num omnis sit *intelligens*, num omnis sit *penetrabilis* cum alio ejusdem rationis cum ipso? 4. Num Bruta sint automata & meræ machinæ cum *Cartesio*; an habeant animas immateriales, immortales, & spirituales cum Platone; an sint immateriales & non spirituales; an sint meræ essentiales materiæ modificationes; an sint formæ materiales substantiales; an sint particulæ *animæ mundi*; an anima humana possit esse *immortalis* si esset *materialis*? 5. Num Locus sit superficies concava cum *Arist.* an *res extensa* cum *Cartes.* an *amplitudo divina* [illegible] *phantasma Hob.* an sit *nihil absolute* cum quibusdam Recentioribus? 6. An Mercurius suspendatur in tubo per [illegible] Atmosphærici pressuram; an vero ad discontinuationem corporum evitandam; an in summitate tubi baryscopici sit vacuum, aer vel æther; an subtiliores Mercurii partes, funiculus iste *Francisc. Lini*; num Planetæ sint septem, octo, an vero duodecem? 7. Num omne corpus sit infinitum? 8. Num ens & non ens infinite distent? 9. Num mundus ab æterno creari potuerit? 10. Num *extensio* sit corporis proprietas? 11. An detur aliquid quod nullibi sit, & tamen ubique sit? 12. Num universa deniq; Physiologia Peripatetica sit *ens rationis*.

Philosophia docet ut sequaris Deum, feras casum, Sen. Epist. 16. *Verum quicquid vulgus cogitat vanum est, quicquid loquitur falsum est, quicquid improbat bonum est, quicquid approbat malum est, quicquid prædicat infame est, quicquid agit stultum est*, Petrarch.

EDINBURGI, Excudebat *Thomas Brown*, M.DC.LXXV.